Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8477
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



intendit iuuamentum cum eis procurando ut iam dictum est per euacuacionem nociui humoris a toto corpore, aut a partibus epatis aut cerebri, sicut fit cum decoccione epithimi, aut cum medicina de epithimo facta. Secundo vero modo intendit cum medicina laxatiua, non predicta euacuacio sed mundificacio sanguinis qui est prope cor. Ad hoc ut mundus spiritus generetur in eo. sicut quando ponitur in medicinis cordis lapis lazuli aut armenicus. Ex quibus medicinis cum peruenit virtus earum ad cor adipiscitur virtutem expulsiuam melancolici humoris a sanguine tendente ad ipsum, et melancolici vapores a sanguine generato in ipso quod etiam iuuamentum precedit a corde ad cerebrum. Nocet verumtamen medicina laxatiua cordi, quoniam omnis euacuacio naturam duobus modis opprimit, primo quidem quod cum eo quod est nociuum euacuatur aliquid de eo quod est conueniens nature. Secundo vero quoniam affert et supergrauat naturam membri ex eo quod attrahit a membris vnde grauatur natura que trahit humores ad sedem ipsorum et ibi eos quiescere facit, medicina vero laxatiua huic contrarium facit. Accidit ergo ex hoc nature debilitas et pigricies quam obrem non preualet ei. Tyriacalis medicina sistit vomitum atque fluxum confortando naturam et repugnando illi prout habet substantiam venenosam et cum sua venenositate euacuat. Et ideo fertur bene dixisse Galienus. quod medicina laxatiua mundificat atque ledit. Rursus autem iuuamentum laxacionis maius quidem est in tristicia propter mundificacionem quam in cordis debilitate.

Laxacio namque diminuit materiam spiritus et debilitat cordis complexionem. Medicine prouocantes vrinam et sudorem sunt vtiles in debilitate cordis que causatur ex subtilitate sanguinis et eius aquositate quoniam augent sanguinis siccitatem et grossiciem et turbulentiam melancolicam. Euacuacio autem sanguinis nocet debilitati cordis que causatur ex frigiditate sanguinis et paucitate, prodest autem debilitati que causatur ex suffocacione caloris naturalis et superfluo sanguine sicut in cardiaca sanguinea. Medicina autem subtiliatiua medicinis cordialibus associatur quando tristicia causatur ex turbitate sanguinis, aut in debilitate cordis cum grossicie sanguinis et eius frigiditate. vnde generacio multi et temperati spiritus prohibetur. Eodem vero modo similiter abstersiua et aperitiua illis coniunguntur. vt cum sui aperiendi potencia penetrare faciat medicinas cordi. que sunt sicut kakabre. et terra sigillata. Inflatiua medicina valde nociua est tristibus. et corde debilibus quoniam replet subiectum spiritus vaporibus inconueniens et in transmutabilibus, habentibus se adipsos sicut superfluitates se habent ad membra, obtenebrant ~~tia~~, ergo spiritus et grauant et ad suas operaciones debiles eos reddunt, propter quod debilitatem cordis atque tristiciam simul causat. Constrictiua vero medicina et inuiscatiua, medicinas cordis ingrediuntur. vt substantie spiritus soliditatem et continuitatem laudabilem tribuant ne velociter dissoluantur quolibet leui motu. Verumtamen ipsorum vtilitas in debilitate cordis est maior quam in